



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. I. Conclusio affirmativa statuitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

Tertiò obijciunt aliqui Decretum Joannis A XXII. qui, teste Ocham in opere sex dierum, & Gersoni in ferm. de Paschate, dicitur definiti- se contrarium.

Sed respondetur, verum quidem esse, illum fuisse valde propensum in hanc sententiam, eamque persuadere statuisse: non tamen ut Pontificem definitivè, sed, ut ait Benedictus XII. in sua Extravaganti, speciali Dei providentiâ raptum fuisse, antequam aliquid definiret. Nec credendum est Ochamo, quippe qui Joanni XXII. fuit infensissimus, utpote ab eo excommunicatus.

## ARTICVLVS II.

*Utrum beatitudo semel adepta possit amitti?*

II. **F**ERTVR communiter error Origenis, negantis perpetuitatem beatitudinis, & ponentis perpetuam vicissitudinem felicitatis & miseriar: licet aliqui eum excusare nitantur, dicentes hunc errorem inter opera Origenis ab hæreticis fuisse insertum; sed immeritò, quia tum D. Thomas hîc art. 2. & 3. contra gent. cap. 62. tum etiam D. Augustinus libro 21. de civit. cap. 17. & libro de hæresibus hæresi 43. & D. Hieronymus in Epistola ad Avitum, imò & sexta Synodus generalis actione 11. in Epistola Sophronij, approbatâ actione 13. hunc errorem Origeni tribuunt.

Porro contra illum militant plura Scripturæ testimonia, quibus asseritur beatitudinem Sanctorum perpetuò duraturam, præsertim illud Matth. 25. quod adducit S. Thomas: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Et Joan. 22. Christus dicebat Apostolis: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Item 1. Petri 2. beatitudo vocatur hæreditas *incorruptibilis, incontaminata, & immarcescibilis.* Et cap. 5. *immarcescibilis gloriæ corona.* Denique in Fidei symbolo promittitur nos expectare vitam æternam.

12. De fide ergo certum est, beatitudinem Sanctorum fore perpetuam & nunquam desituram. Sed dubitant ac disputant Theologi, an hoc ei conveniat ab intrinseco, & ex natura rei, vel solùm ab extrinseco, & ex gratuita voluntate Dei, eam perpetuò conservantis? Scotus enim & Durandus in 4. dist. 49. qu. 6. docent illam solâ Dei voluntate, & non ab intrinseco esse perpetuam. Idem videtur sentire Vazquez hîc disput. 21. cap. 2. ubi ait eodem modo philosophandum esse de visione beatifica & lumine gloriæ, sicut de Angelis: unde sicut Angeli, in ejus sententia, non sunt in incorruptibiles ex natura sua, sed solùm ab extrinseca Dei providentiâ illos conservante; ita & lumen gloriæ, ac visio beatifica. Alij dicunt beatitudinem posse dupliciter considerari, scilicet in ratione beatitudinis, & boni perfecti ac plenè satiati, & in ratione visionis & operationis: & primo modo esse ab intrinseco inamissibilem & incorruptibilem, non autem secundo modo. Ita Curiel hîc art. 4. dubio unico. Thomistæ verò asserunt perpetuam ab intrinseco convenire beatitudini, tam ut est visio Dei, quàm ut est perfectâ beatitudo: sic Cajetanus, Conradus, Martinez, Alvarez, Suarez, & alij.

S. I.

*Conclusio affirmativa statuitur.*

**D**ICO igitur: Visionem beatam, tam ut beatitudo, quàm ut visio est, ab intrinseco esse incorruptibilem. Ita D. Thomas hîc art. 4. ubi docet beatitudinem perfectam, quæ expectatur post hanc vitam, & ex ipsa communi ratione beatitudinis, & ex ratione beatitudinis in speciali, quæ in clara Dei visione consistit, habere quod non possit deficere: unde in resp. ad 1. ait per hanc beatitudinem elevari hominem ad participationem æternitatis, transcendens omnem mutationem; & 1. p. qu. 10. art. 3. inter entia naturâ suâ immutabilia & æterna ponit visionem Dei, quam dicit propterea vocari in Scriptura vitam æternam; & art. 5. ad 1. asserit illam visionem non mensurari tempore, vel ævo, sed æternitate participatâ: idem habet in 2. dist. 2. quæst. 1. art. 1. ad 4. & tertio contra gentes cap. 62.

14. Probat ergo prima pars conclusionis primâ ratione D. Thomæ hîc art. 4. Beatitudo, cum sit bonum sufficiens & perfectum, ab intrinseco & ex propria ratione habet quoddam desiderium hominis quietet, & omne malum excludat; Sed neutrum præstaret, si non esset ab intrinseco inamissibilis & incorruptibilis: Ergo inamissibilitas & incorruptibilitas ab intrinseco illi convenit. Major patet, Minor quoad utramque partem suadetur. Nam unus ex præcipuis quæ optat beatus, est perpetuitas boni quod possidet; unde maximè anxietetur, si existimaret tale bonum non fore perpetuum: Ergo si beatitudo non esset perpetua & incorruptibilis ab intrinseco, nec perfectè satiaret hominis appetitum, nec omnem miseriam & anxietatem excluderet. Unde Augustinus: *Nulla modo esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.*

15. Dices, sufficere ad hoc ut beatus quietetur, & omnis anxietas ab eo tollatur, quod Deus decreverit illi beatitudinem perpetuò conservare, & hoc illi innotescat.

Verùm hæc solutio ex non penetrata rationis efficacia procedit: unde sic eam explico, & datam solutionem evertò. De ratione formæ in qua beatitudo essentialiter consistit, est quoddam vel ratione sui, vel ratione eorum quæ illi debentur, satiet appetitum beati, & omnem miseriam & anxietatem excludat, ut disp. 3. art. 1. fusè ostendimus: Atqui perpetuitas seu inamissibilitas beatitudinis exigitur ad tollendam anxietatem beati, & illius appetitum quietandum: Ergo illa debita est formali beatitudini, eique ab intrinseco (id est vel ratione sui, vel ratione eorum quæ illi debentur) & non solùm ab extrinseco, & ex gratuita Dei voluntate, debet competere.

16. Secunda pars conclusionis, quæ asserit quoddam clara Dei visio, non solùm in ratione beatitudinis, sed etiam in ratione visionis Dei, est incorruptibilis ab intrinseco, secunda ratione Divi Thomæ suadetur. Visio Dei, neque ex voluntate ipsius videntis, neque ex voluntate Dei, neque ex aliquo extrinseco impediente cessare potest: Ergo ex propria ratione habet, quod sit perpetua & duret in æternum, subindeque quod ab intrinseco sit inamissibilis & incorruptibilis. Consequentia patet à sufficienti enumeratione: nihil enim aliud assignari potest, ex quo visio Dei possit cessare. Antecedens verò probatur, quan-

cum ad singulas partes. Et primò, quòd visio Dei ex voluntate ipsius videntis cessare nequeat, sic ostenditur. Omne bonum habitum, quò aliquis carere vult, aut est insufficientis, & quaeritur aliud sufficientius loco ejus; aut habet aliquod incommodum annexum, propter quod in fastidium venit: Sed visio Dei est bonum plenè sufficiens, cum enim conjugat animam fonti totius bonitatis, eam replet omnibus bonis, & omnia ejus desideria explet, ut disp. 3. in digressione de visione beatifica declaravimus. Similiter etiam nullum prorsus habet incommodum annexum, ratione cujus possit cauere fastidium; imò potiùs, ut ibidem ostendimus, tam suaviter implet, tam delectabiliter fatiat, ut in ejus fruitione regnet desiderium, & in satietate vigeat appetitus illius, juxta illud Gregorij in moralibus: *Cum ad ipsum fontem vite devenerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul & satietas; sed longè aberit à sitis necessitas, longè à satietate fastidium; quia sitientes saturabimur, & saturati sitiemus:* Ergo visio ex voluntate ipsius beati cessare nequit.

17. Deinde, quòd ex parte Dei non possit desinere, saltem de potentia ordinaria, probat Divus Thomas: quia cum subtractio beatitudinis sit quædam pœna, non potest à Deo justo judice provenire, nisi pro aliqua culpa: Sed nulla culpa reperiri potest in eo qui fruatur clara Dei visione; cum ad illam ex necessitate sequatur impeccabilitas & rectitudo voluntatis, ut suprà vidimus: Ergo nec ex parte Dei provenire potest cessatio beatificæ visionis. Tandem, quòd à causa extrinseca impediri nequeat, patet: quia visio, quæ homo unitur Deo, est superior actione omnis causæ creatæ; atque adeo ad illam nullum agens creatum pertinere potest.

18. Simili ratione utitur S. Doctor 3. contra gentes cap. 62. ubi sic discurreit: *Si aliquis videre desinat quod primò videbat, aut hoc erit quia deficiet ei facultas videndi; sicut cum aliquis moritur, vel cecatur, vel aliquo aliter impeditur: aut erit, quia non vult amplius videre; sicut cum aliquis avertit visum à re quam prius videbat; vel quia objectum subtrahitur. . . . Substantia autem intellectuali videnti Deum non potest desesse facultas videndi Deum; neque per hoc quòd esse desinat, cum sit perpetua; neque per defectum luminis quò Deum videt, cum lumen illud incorruptibiliter recipiatur, secundum conditionem & recipientis & dantis: neque potest ei desesse voluntas tali visione fruendi, ex quo percipit in illa visione esse suam ultimam felicitatem; sicut non potest velle non esse felix: neque etiam videre desinet per subtractionem objecti; quia objectum illud quòd est Deus, semper eodem modo se habet, nec elongatur à nobis, nisi in quantum nos elongamur ab ipso: Impossibile igitur est, quòd visio illa Dei, quæ beatos facit, unquam deficiat.*

19. Probatur secundò eadem pars ratione fundamentali: Nam ut dicit S. Thomas t. p. qu. 50. art. 5. ad 3. *Non dicitur aliquid incorruptibile, per hoc quòd Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem; sed per hoc quòd in seipso aliquod principium corruptionis habet:* Sed visio beatifica, quamvis à Deo destrui possit, non tamen habet in se aliquod principium corruptionis: Ergo non est, nec dici debet corruptibilis, sed incorruptibilis ab intrinseco, etiam per respectum ad Deum. Major constat, tum ex Aristotele, & D. Thoma, & ex con-

A sensu omnium Sapientum, à quibus petendæ sunt rerum definitiones, & non pro libito con-  
fingendæ: tum inductione, nam cœli, Angeli, animæ rationales, sunt & dicuntur incorruptibilia: quia licet per absolutam Dei potentiam, & suspensionem divini concursus conservativi, possint destrui, & desinere esse, non habent tamen in seipsis aliquod principium corruptionis, seu aliquam potentiam ad non esse, quæ exigant aliquando suspensionem concursus, quò Deus illa conservat in esse. Item lapis dici non potest naturâ suâ mobilis sursum, etiam respectu Dei; quia licet Deus possit movere lapidem sursum, caret tamen principio intrinseco ad locum sursum inclinante. Denique, licet Deus corpora mixta & corruptibilia perpetuò conservare possit; quia tamen in se habent principium intrinsecum corruptionis, materiam scilicet non fatiatam formâ illorum, non possunt dici incorruptibilia: Ergo ex opposito, ut aliquid sit & dicatur corruptibile, non sufficit quòd Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem, sed requiritur necessariò quòd in seipso aliquod principium corruptionis habeat. Minor autem suadetur: Nam in illa visione subjectum est incorruptibile, & lumen à nullo alio pender nisi à solo Deo; neque visio pender nisi ab intellectu & lumine, quæ perpetua sunt, & necessariò operantur in illo statu, illisque debetur concursus divinus accommodatus: quòd si loquamur de causa morali corruptionis, quæ solum potest esse peccatum, etiam visio beatifica omnino illud excludit: Ergo nulla potest hîc cogitari causa intrinseca corruptionis.

Dices ex Curiele ubi suprà: ad hoc ut visio beata possit dici ab intrinseco corruptibilis, sufficere quòd in intellectu beati, lumine gloriæ illustrato, sit potentia ad non esse visionis, & quòd illi nec lumen nec visio debeantur.

Sed contra: In intellectu beati, lumine gloriæ illustrato, non datur potentia naturalis, sed tantum obediens ad non esse visionis: At hæc non sufficit ut visio beatifica possit dici ab intrinseco corruptibilis; alioquin Angeli, cœli, anima rationalis, & unio hypostatica, possent dici ab intrinseco corruptibilia, cum in eis sit potentia obediens ad non esse, illaque per absolutam Dei potentiam possint destrui & annihilari: Ergo ut visio beatifica possit dici ab intrinseco corruptibilis, non sufficit quòd in intellectu beati sit potentia ad non esse visionis. Item unio hypostatica est naturæ humanæ indubitata; & tamen est ab intrinseco indissolubilis & incorruptibilis, unde mensuratur æternitate participatâ, ut communiter docent Theologi: Ergo ex eo quòd lumen gloriæ & visio beatifica non sint intellectui beati connaturaliter debita, non rectè colligitur visionem beatam non esse ab intrinseco incorruptibilem, & inamissibilem.

Tertiò probari potest eadem pars: Forma perfectè complens & satians appetitum subjecti, est ex natura sua incorruptibilis & inamissibilis: Sed visio beatifica totaliter fatiat appetitum beati: Ergo ex natura sua incorruptibilis est. Major patet in forma cœlorum, quæ dicitur ab intrinseco incorruptibilis, quia perfectè fatiat appetitum materiæ, nec finit eam appetere aliquam formam ipsi contrariam: Unde probatur Minor. Illa forma totaliter fatiat appe-

20.

21.

titum subjecti, quæ facit ut subjectum non possit aliquid aliud appetere sibi oppositum: Sed visio beata hoc præstat, facit enim ut proprium subjectum appetere nequeat cessationem visionis, vel errorem circa Deum ( quæ duo opponuntur visioni ) quatenus facit ut non possit in aliquo ex illis apprehendere rationem boni: Ergo totaliter satiatur appetitum beati.

21. Confirmatur: Ideo humanitas, terminata per subsistentiam Verbi Divini, non expetit propriam, quia per divinam illius appetitus perfectè satiatur; quocirca compositum, ex illa & Verbi subsistentia resultans, incorruptibile est: Ergo si visio beatifica satiatur intellectus appetitum, quò propendit in verum, non relinquet potentiam proximam ad formam oppositam; & consequenter compositum resultans ex visione & intellectu, incorruptibile erit.

22. Confirmatur ampliùs: Forma quæ caret contrario, ab intrinseco incorruptibilis est: Sed visio beatifica caret contrario; error enim, qui solus videtur illi opponi, ei propriè non contrariatur; quia nec sunt ejusdem ordinis, nec possunt mutuo se expellere; illa quippe visio sic perficit subjectum, ut reddat illud omnino incapax erroris: Ergo idem quod priùs.

## S. I I.

*Solvuntur objectiones.*

23. **O**BJICIES primò contra primam partem conclusionis. Ad rationem beatitudinis non est necessarium ponere illam incorruptibilem ex natura sua, sed sufficit quod ex Dei dono & conservatione non corrumpatur: Ergo omnino voluntariè ponitur incorruptibilis ex propria ratione. Consequentia est bona, Antecedens probatur: quia ut beatus sit perfectè fœlix, & non sit anxius de suo statu, sufficit quòd Deus statuerit conservare beatitudinem ejus, & hoc sit illi notum.

24. Huic objectioni solutio patet ex dictis in probatione primæ partis conclusionis, negandum scilicet esse Antecedens: nam cum de essentia beatitudinis sit, quòd vel ratione sui, vel ratione eorum quæ illi debentur, satiatur omnem appetitum beati, & omnem miseriam & anxietatem ab eo excludat, non esset vera beatitudo, si ex se & ab intrinseco non haberet securum reddere beatum de perpetuitate sui status: hoc autem præstare non potest, nisi ab intrinseco sit inamissibilis & incorruptibilis: adeòque non sufficit extrinsecum Dei decretum, quò statuit perpetuò conservare Sanctorum beatitudinem; sed insuper requiritur quòd ipsa beatitudo ratione sui, vel ratione alicujus proprietatis & perfectionis sibi debita, exigat perpetuò durare & conservari à Deo.

25. Objicies secundò: Beatitudo habet potentiam intrinsecam ut à Deo destruat: Ergo est corruptibilis ab intrinseco, saltem per respectum ad Deum. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens probatur. Visio beata est destructilis à Deo suspendente concursum. At non est destructilis per solam denominationem extrinsecam à potentia Dei: Ergo est destructilis per potentiam sibi intrinsecam. Probarur Minor. Si solùm esset destructilis per denominationem extrinsecam à potentia Dei: hæc causalis esset vera ideo est destructilis, quia Deus potest eam destruere: At rursus hæc est vera: Deus potest illam destrue-

re, quia destructilis est: Ergo de primo ad ultimum, ideo potest Deus destruere visionem, quia potest: quod est circulus vitiosus, quem D. Thomas 1. p. qu. 25. art. 2. vitare contendit in objecto omnipotentia Dei.

26. Respondeo, distinguendo Antecedens: Beatitudo habet potentiam intrinsecam ut destruat à Deo, physicam, nego Antecedens: Logicam & obedientialem, consistentem in non repugnantia ut destruat à Deo, operante supra leges communes, & contra peculiarem ipsius beatitudinis inclinationem, concedo Antecedens, & nego Consequentiam: quia ut aliquid dicatur ab intrinseco corruptibile, per respectum ad Deum, non sufficit non repugnantia, seu potentia logica & obedientialis ut ab illo destruat, ut supra ostensum est; sed exigitur potentia physica inclinata secundariò ad non esse: ideo enim homo, v. g. dicitur corruptibilis ab intrinseco, quia materia ex qua componitur, appetit alias formas, incompatibiles cum anima rationali, & ex consequenti appetit expulsionem animæ, & non esse hominis.

27. Objicies teritiò contra secundam partem conclusionis: Forma recepta in subjecto non connaturali, sed extraneo, recipitur in eo amissibiliter & corruptibiliter; ut patet in calore, qui in subjecto proprio & connaturali, scilicet igne, est inamissibiliter, sed in aqua est amissibiliter, eò quòd aqua sit subjectum extraneum: At visio Beatifica est in homine, & in Angelo, ut in subjecto extraneo, non verò connaturali; cum lumen gloriæ, à quo dependet, nulli intellectui creato vel creabili connaturale sit: Ergo visio beatifica est amissibiliter & corruptibiliter in intellectu humano & angelico.

28. Confirmatur: Gratia sanctificans est qualitas corruptibilis, ut experientià constat, nam quotidie corrumpitur per peccatum: Ergo multò magis lumen gloriæ, & visio beata. Patet Consequentia: tum quia gratia sanctificans est nobilior forma n ordine supernaturali: tum etiam quia comparatur ad lumen gloriæ, ut essentia ad proprietatem; non potest autem proprietatis esse incorruptibilior, quàm natura à qua dimanat.

29. Ad objectionem respondeo, Majorem esse veram, quando forma ex se non habet quòd sit incorruptibilis, sed ex conditione subjecti; tunc enim si recipitur in subjecto extraneo, est in eo corruptibiliter & amissibiliter; secùs verò, quando ex se & ex natura sua incorruptibilis est, & perfectè participata à subjecto extraneo; tunc enim non solùm non participat corruptibilitatem subjecti, sed insuper illud trahit & elevat ad suam incorruptibilitatem. Patet hoc in subsistentia divina, quæ quia ex se est incorruptibilis & æterna, etiam communicata subjecto extraneo, scilicet humanitati, incorruptibilis & perpetua manet, & trahit illam ad suam perpetuitatem: unde Christus naturam semel assumptam nunquam dimisit, etiam dissolutà unione illius naturæ per mortem, Ceterùm visio beata ex se & ex natura sua incorruptibilis est: tum quia est participatio visionis Dei, & mensuratur æternitate illius: tum etiam, quia principia ad illam concurrentia, nempe lumen gloriæ, & divina essentia, in ratione speciei unita, ex propria natura sunt incorruptibilia; & sic visio quamvis recepta in subjecto extraneo (intellectu scilicet humano vel angelico) non propterea participat corruptibilitatem seu mutabilitatem illius, sed